



*Sammelband von Dina*



*U. g. 1975*

DEO DVCE ET

AUSPICE

SVB PRAESIDIO

*Nobilissimi, & Amplissimi viri,*

Dn. ARNOLDI DE REYGER, DO-  
CTORIS IVRE CONSULTI CELEBERRI-  
mi, Pandectarum Professoris in inclyta  
Salanâ Publici &c.

HANC

*Processus iudiciarij*

DE REVISIO-

NE ACTORVM, REDV-  
CTIONE AD ARBITRIVM BO-  
ni viri, & in integrum restitutio-  
nibus

DISPUTATIONEM XIII.

*Ex V. I. & receptis Doctorum in foro opinionibus  
desumptam, publicè in amplissime Iuridica  
facultatis auditorio defendendam*

*suscepit*

IOHANNES GOEDEMAN

Lunæburgensis Saxo.

*Hab: Diss. Novembr: 6, matutina.*

IENÆ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.

ANNO MDCCXCV.



*MAGNIFICIS, AM-  
plissimis, longoq; rerum usu & experi-  
entia Viris praestantissimis*

*Dnmm.*

LEONARDO ELVER  
GEORGIO TOBING:  
LVDOLPHO à DASSEL.  
HENRICO VVITZENDORPH.

*Inclytæ Lunaburgensis Reipublicæ Patricijs  
& Consulibus digniss; toti; ibidem  
Senatorio ordini prudent-  
tissimo*

Dominis ac Patronis suis plurimùm colen-  
dis, summæ obseruantiaë, & gratitu-  
dinis ergò

dedicat, consecrat

*Johannes Gødeman.*





C O N T I N U A T I O .

Siquidem Disputatione proximè præcedente actu-  
sum suspensiuorum incepta fuerit tractatio, eo-  
rumq; teste Maranta *a* species sint plurimæ, qua-  
rum hætenus supplicatio & inhibitiõ relata fuit, &  
discussa. His verò non leviter cognatæ sint Revisio  
actorum, Reductio ad arbitrium boni viri, & in  
integrum restitutio *b*, nos præfente nostro hoc con-  
gressu D<sup>no</sup> faciente de his agemus.

*a* p. 6. de appellat. *b* Alex. in l. fin. C. de Edict.  
D. Adrian. toll. & ibid. Castrens. n. 16. item Decius n.  
40. & Seb. Sap. n. 110.

T H E S I S I.



St itaque Revisio Remedium extraor-  
dinarium *a*, quo ex mera benignitate  
& gratia *b* ordinatio Camerae Imperi-  
alis per Commissarios Imperat. & Sta-  
tuum Imperij ad id deputatos succurrit  
*c* his, quibus aduersus iacturam & læsi-  
onem suam, alio beneficio subueniri non

poterat *d*.

*a* Ordinarium namq; est, quod à jure Civili cer-  
tam habet & limitatam formam. *argum.* l. 1. C. vbi de cri-  
min. agi oport. *b* faciunt notata per Maran. p. 6. de appell. n.  
18. & Panorm. in c. ex literis. n. 6. ext. de in integr. restit. speculat. §.  
differt de supplicat. c. Ordinat. Cam. p. 3. tit. 53. *d* Vnde et,  
iam vltimum & extremum Remedium dicitur. Andr.  
Geil. lib. 1. obs. 153. n. 1.

II.

Et competit hoc Beneficium non solùm ipsis Impe-  
rij statibus, verùm etiam quibuscunq; alijs. Privatis *a*.

A 2 illis

illis tamen solum qui per summum Imperij Consistorium, sententia lata lētos se conqueruntur *b.*

*a* *d. tit. 53. Ordinat. Cam. p. 3.* *b* *ibidem tit. 51.*

III.

In petenda verò Revisione, ex Ordinat. Cam: insinuari illa debet Electori sive ArchiEpiscopo Moguntinensi *a*, quo is ea de re Imperatorem, statusq; Imperij congruo tempore certiores reddere possit, ac hi cum Commissarijs Imperatoris, Consiliarios suos doctos atque peritos ad revidenda acta mittere queant *b.*

*a* Quia Elector sive ArchiEpiscopus Moguntinens: ArchiCancellarius est Imperij, ad cuius officium spectat Imperatorem & Status tam de visitatione, quam Revisione certiores reddere. *d. tit. 53. vers. Der gestalt/ das sich solches vnserm dem Erzbischoffen zu Wern als dem Reichs Cansler an der Keiserlichen Maiestat Statt: etc.* *b* *Sape d. tit. 53. p. 3. ord. Cam. per illa verba: Mit beger neben ihrer Lieb vnnnd Keiserlichen Maiestat oder vnseris Commissarien ire treffliche erfahrne geschickte vnd geleerte Rete zuschicken. Hic elegans exurgit dubitatio, Vtrum eiusmodi Commissarij & Consiliarij sive ut vocant Revisores ordinariam à lege Imperij habeant jurisdictionem nec ne? quod nos rationabiliter cum And. Geil. lib. 1. obs. 154. n. 1. affirmari posse putamus. Huc item ulterius illa quoq; spectat *Quæstio*: An quibusdam ex Revisoribus absentibus ceteri præsentibus acta revidere & in causa pronunciare possint, quod itidem affirmamus: *per text. tit. 50. Ordin. Cam. p. 1. vers. 1. per verba: Vnd wo etliche der gemelten Commissarien den angesetzten Dag der visitation Leibes not haben nicht erscheinen/ sollen nicht desto weniger die erscheinende fürfahren/ vnd was die Notdurfft derselben erfordern/ zu jeder zeit handeln. Nec adeò referre existinemus, quod iste textus de visitatione non etiam de Revisione loquatur: Cum enim accessorium sequatur naturam sui principalis. c. accessorium. de Reg. iur. in sext. & l. cum principalis. ff. eod: Revisio verò visitationis sit accessorium. *per text. d. tit. 53. in pr. vers. So zu der jährlichen visitation verordnet / dum ibi Revisio demandetur ijs, quos ille anno ordo visitandi tangit: Conseq. igitur est, vt idem procedat in Revisione quod***

quod alioquin in visitatione iuris est: Quibus conveniens est  
dubium non minus notabile, quæ nimirum sententia in  
Revisione actorum, Revisoribus ab invicem discordan-  
tibus pronunciata præferri debeat? & eam quæ cum  
priori in Camera lata sententia magis convenit recipi-  
endam concludimus. *argum. l. vnic. vers. credidit. ff. de off.  
Præf. Prator. Præsumuntur enim Assessores Camerae rectè iudicasse  
vsq; dum contrarium liquido appareat.*

I V.

Ejusmodi porrò Revisores vtrum in Revisione a-  
ctorum ordinem Processus judiciarij vt alij iudices obser-  
vare debeant, nrm verò solennitatibus istis exempti sint  
hoc loco non intempestivè quæri solet? & ordini proces-  
sus judiciarii illos non esse obstrictos tuebitur.

*Arg. gl. in clem. I. vers. inhibentes de iure Patronatus. Quo-  
ties enim nova datur iudicandi forma illa præcisè est servanda: Eius-  
modi autem nova in Revisione procedendi forma data est in sepe d. tit.  
53. §. Unde damit. vers. final. per verba, Und sol solche Revision  
vnd handlung nach folgender massen vorgenommen werden.  
Secundum novam igitur formam, non autem secundum ordinem  
Processus, in Revisione procedendum fore consequenter concluden-  
dum erit:*

V.

Ad tempus Revisionis quod attinet, secundum  
Ordinationis Cam. præscriptum mox eodem anno, si  
modo ad primam Maij duo adhuc supersint Menses, ve-  
ti debet a, quod tamen duorum Mensium spatium ho-  
diè per visitatores ad trimestre tempus prorogatum  
est b.

a tit. 53. in pr. p. 3. ord. Cam. b Abscheidt des Reichs-  
tages zu Speir Anno 57. §. Wievol ferner etc. per illa ver-  
ba, Und das die zeit in diesen fallen bis auff 3. Monat zu ver-  
strecken sey. Sed quia sæpenumero accidere solet, vt  
inter sententiam latam & primam Maii non modò trium  
Mensium, sed nequidem duorum aut unius etiam inter-  
cedat spatium amplius in ordinat. Cam. cautum est, vt  
eo casu Revisio anno sequenti tribus Mensibus ante pri-  
mam

nam Maij expediri debeat. *sape d. tit. 53. §. 1. vers.* Wo aber  
vñ der zeit. *Circa hæc ardua occurrit dubitatio:* A quo videl. tem-  
pore, spacium illud trimestre numerari debeat, an a die  
latæ sententiæ, tantum temporis superesse sufficiat? an  
verò id demum á die insinuatæ Revisionis currere inci-  
piat? & verius putamus, quod á die demum factæ insinu-  
ationis currere incipiat: *d. tit. 53. §. 1. per verba:* Denn sie  
solches vnsern Newen dem Erzbischoffen 2. Monat vor dem 1.  
Maij zu jeder zeit in Schrifften zuerkennen geben. & eod. §. fin.  
Zwen Monat vor 1. Maij, zuerkennen geben. & d. §. Wiewol  
ferner inhalt. in Reecessu visitator: Anno 57.

VI.

Ad formam Revisionis spectat, quod indifferenter  
& semper peti debeat in scriptis *a:* & is qui eam fieri  
velit, certam pecuniæ quantitatem, Revisorum arbitrio  
terminandam, deponere cogatur *b.*

*a* Scripturam enim in Revisione requiri mani-  
festè probat text; in d. tit. 53. ordin. Cam. p. 3. vbi in hunc  
modum disponitur: Das sie solches vnsern newen etc. zu jeder  
zeit in Schrifften zu erkennen geben. *b* Ad obviandum enim  
temeritati litigantium & compescendas calumnias in  
Ord. Cam. ita provisum est, vt antequam Revisionis in-  
choetur negotium certæ pecuniæ quantitatem deponi  
necesse sit. *d. tit. 53. §.* Vnd damit, vbi latius: *Vnde queritur,*  
Quod si idoneè cavere velit, an in locum depositionis  
pecuniæ admitti possit satisfactio? & admitti eam posse,  
verius est: *probat per d. §. vnd damit, per verba ibi circa finem*  
*inserta.* vnd dafür gnugsamliche Bürgen. Cautio igitur debet  
esse sufficiens & fideiussoria: Non facilè ergò juratoria  
cautio admittetur, quam tamen nos in defectum fide-  
jussoriæ aut pignoratitiæ cautionis etiam admitti posse  
putamus: *Ne sc: via iustitiæ videatur præclusa pauperi.*  
*And. Geil. lib. 1. obs. 155.* Sed hoc casu ne pauperi temerè  
calumniari liceat, solet multa pecuniaria mutari in pœ-  
nam corporalem: secundum vulgarem theoreticam, Qui  
non habet in ære luat in corpore. *And. Geil. d. loco. vbi ali-*  
*quando in causa pauperis temerè Revisionem potentis ita observatum*  
*vestatur.*

Effectus



## VII.

Effectus Revisionis est, ut sententiæ Camerae, jam revidendæ executionem suspendat.

*Eleganter Andr. Geil. lib. 1. obs. 154. n. 4. ubi ita pronunciatum tradit in causa Worekan. contra Brandenburg. Anno 59.*

## VIII.

Naturam ulterius Revisionis quæ concernant varia sunt: 1. Ut semel impetrata sæpius in eadem causa non concedatur. 2. Ne partibus aliquid novi introducere permittat b, & 3. ut ab omni tam interlocutoria quam definitiva sententia fieri possit c.

a d. tit. 53. §. Im fall aber. ubi disponitur; quod à sententia Revisionis confirmatoria appellare, supplicare, vel Revidere non liceat: Andr. Geil. lib. 1. obs. 155. n. 5. b In Revisione enim acta duntaxat illa, secundum quæ sententia in Camera lata fuit, revidentur, quod patet ex ipsa Rubrica. *sape d. tit. 53.* Von der Revision der acta vñnd gesprochenen Urtheil im Keyserlichen Cammergericht etc. & ex § Darauff. cod. tit. vers. Erstlich alle vñnd jede gericht's Acta revidiren. Hinc est, quod tradit Geil. lib. 1. obs. 154. n. 2. Revidere est ex prioribus actis iudicare &c. Conseq. igitur est in Revisione beneficium. l. per hanc. C. de temp. appell. omninò locum non habere. ita videl. quasi deducta deduci, & non probata probari pòssint: Geil. d. loco. c circa interlocutorias tamen hoc observato discrimine, ut si interlocutoriae simplices sint, Revisio fieri non possit, nisi contineant aliquod singulare & irreparabile damnum. Sin verò Definitivæ sententiæ vim habeant, indifferenter procedatur. An. Geil. d. loco. Quam Differentiam ibidem in Austria laudabiliter observari testatur.

## IX.

Tandem à sententia Revisionis appellari non posse concludimus.

*Andr. Geil. d. loco. n. 6.*

## X.

Transcundo nunc ad materiam Reductionis: Reductio ad arbitrium boni viri nihil aliud est, quàm à laudo arbi-

do arbitratoris ad iudicem competentem provocatio a,  
quæ in effectu cum appellatione eadem est b, & ideò  
species quoq; appellationis c, non autem appellatio di-  
citur d.

a *And. Geil. lib. 1. obs. 149. n. 2. Herm. Vultei. in sua Iu-  
risfrud. Romana. lib. 2. c. 33.* Quis verò hoc in casu com-  
petens iudex sit, apud DD. controversum constat: Alij  
enim iudicem voluerunt Laudantis *Romanus cons. 256. &  
Afflict. decis. 51.* Alij verò & quorum sententia commu-  
nior est, & in Camera recepta, eum existimant adeun-  
dum esse iudicem, qui litigantium, imprimis verò Rei,  
semoto compromisso fuisset ordinarius. *Br. in l. si societas  
tem. §. arbitratorum. n. 21. c. exposita. 11. Ext. de arbit. & per eun-  
dem text. à Abb. Panormit. in c. quinta vallis ext. de iureiuran. n. 39.  
vers. sed dubitatur: Maran. p. 6. de appell. n. 126: Geil. lib. 1. obs.  
149. n. 1. Myns. cent. 2. obs. 61. L. Kirchovius com. opin. p. 1. cent.  
6. concl. 42. Gothofr. in notis ad Schneid. in §. omnium. inst. de act.  
& Vult. ante citato loco. Covarru. Variar. Resolut. lib. 2. resol. 12. n.  
19. Treutl. p. 1. diss. 12. th. 5. Dissentit Ferrariens. tit. 28. gl. 7. qui  
vult causam tam coram iudice arbitrat. quam coram ordinario agi  
posse. b *H. Vult. d. lib. 2. c. 33.* c *H. Schurph. cons. 290  
cent. 2. Myns. Decad. 6. cons. 55. n. 27. Marant. d. p. 6. de appellat. n.  
222: d *Specul. in tit. de arbitro & arbitratore §. 1. vers. quid  
si à tempore. lib. part. 1. n. 5. Abbas Panormit. in d. c. quinta vallis. n.  
39. Maran. allegato loc. n. 122. per l. non distinguemus. §. cum quid-  
dam. ff. & l. 1. C. de recept. arbit.***

## XI.

Et datur hoc beneficium si Arbitratoris pronanci-  
atio enormiter sit iniqua a: quod quando fiat, variæ dis-  
crepantium sunt opiniones: Quidam enim læsionem al-  
terius partis, exigunt superantem dimidiam litis æstima-  
tionem b: alii damnum ultra partem sextam extendunt c:  
Tertij ultra partem tertiam d: Nos sententiæ eorum  
subscribimus, qui iudicis arbitrio hoc æstimandum relin-  
quunt.

a *argumento l. non distinguemus. §. cum quidam. ff. de re-  
cept. arbit. cum l. precedent. & l. 3. C. eodem, Andr. Geil. lib. 1. obs.  
150. n.*

150. n. 10. Maran. p. 6. de appell. n. 271. post Abbat. in d. c. quintavallis. n. 33. Myns. decad. 6. cons. 55. nu. 25. cum seq. ad finem post Br. in d. l. societatem. §. arbitratorum. H. Scharph. cons. 29. n. 1. cent. 2. Ves. in parat. ff. de recept. arbit. in fine. L. Kirchoy. com. opin. p. 2. concl. 94. b Cyn. in l. fin. C. de cont. empt per text. l. 2. C. de rescin. vend. c. cum dile. &c. penus. de emp. & ven. c. cum Myn. d. consil. 55. n. 30. post Br. in alleg. l. societat. & in l. fin. C. de cont. empt. per l. unde Nerva. cum l. seq. ff. pro socio. d Hos prolixè refert Panormitan. in d. c. quintavallis nu. 33. circ. finem. e Panormit. d. loco Andr. Geil. in sepe d. obs. 150. n. 11. Constat itaque ex supradictis, quod si alterutram partem arbitrator modicum læserit Reductio peti non possit, siquidem is modicum de jure alterius auferre, & alteri dare bene possit. Myns. d. consil. 55. n. 28. post gl. Bl. Spec. & similes ibidem adductos. Sed cum non presumatur arbitrator iniquè pronunciare, siquidem is, cuius arbitrio quid committitur, ita arbitrari debeat, ut viro bono convenit, & ut pronunciatum illius Rationi & justiciæ consentaneum sit, non vagum nec indiscretum, sed sine dolo & lata culpa, ut eleganter docuit Andr. Geil. d. obs. 150. n. 17. per textus ibid. latius adductos, & imprimis per glos. in clement. sepe de verb. sign. Consequenter in Reductione ante omnia iniquitas laudi, quod Arbitrator pronunciat, probari debet. Probatur itaque ex actis sive ex circumstantiis, iisque vel veteribus vel novis Ferrariens. t. 28. gl. 7. n. 8. Sanè illud refert, utrum super contractum, num verò super litem assumptus fuerit arbitrator: Et quidem si super contractum, debet se iudex referre ad ea, quæ habentur in l. quid enim. 80. ff. pro socio. Si verò super litem & tunc iudex non inspecta stricti juris ratione, sed litis dubio eventu pronunciare debet, P. Ferrar. d. loc. post ibid. allegat. Br. in l. si quis ff. de verb. obl. Uterius huc & illud spectat, cui videlicet probandi onus incumbat, & tradunt DD. ut in causa appellationis, ita quoque in Reductione, hoc casu procedendum esse, ut is, qui arbitratorem iniquitatis accusat assertionem suam probare jure teneatur. l. 2. §. 22. de probat. l. 16. 18. &

B

19. C.

19. C. eod. l. 10. C. de solut. gl. notab. in d. l. 2. ff. de prolar.

XII.

Non minus verò intricata, quam utilis quæstio est, & in qua Principis decisionem requirit Br. *a* ad quod nimirum tempus vsque Reductio peti possit? Et concludunt quidam *b* decendium *c*, Alii *d* annum *e*: tertii quadrimestre *f* statuunt. Nos verò *g* in tanta interpretum discrepantia veriore putamus, eam, quæ & in Camera magis recepta est sententia, ut ad 30. annos peti possit, nec ante laudum arbitratoris inter litigantes effectum producat, nec in rem iudicatam transeat, quam 30. annorum elapso intervallo *h*.

*a* in l. si societatem. §. arbitrator. n. 22. & refert Geil. d. obs. 150 in pr. *b* Speculat. in tit. de arbitro & arbitrat. §. Sequitur. 7. n. 24. *c* per l. cum aurea. C. de arbitris. quia Reductio est species appell. l. non distinguemus. §. cum quidam. ff. de recept. qui arbit. *d* Br. d. l. si societatem. & Ferrar. d. loc. n. 10. *e* per l. qui gravatos. C. de censi. & censoribus. *f* l. si cum dies. §. fin. & l. fin. ff. de arbit. c. querenti. & c. hoc in agendo ext. de offic. in d. delegati. Referente Speculat. d. loc. & Ferrar. tit. 38. gl. 7. n. 2. *g* Ves. in parat. ff. de recept. arbit. in fin. & Ferrar. d. loco. *h* Marant. p. 6. de appellat. n. 122 Vbi contraria refut. Optimè And. Geil. d. obs. 150. n. 2. Vid. Schneid. in not. §. omnium. n. 31. Inst. de act. l. Kirchoy. com. opin. p. 2. concl. 93. per multos alios ibid. adduct. Myn. consil. 55. n. 31. Vult. lib. 2. Jurisp. Rom. c. 33. f. 519. Treutl. disp. 12. p. 1. tb 4.

XIII.

His non extra rem, & hæc annectitur quæstio: Num scilicet huic suo favori renunciare partes possint? In qua variis DD. trutinata sententiis controversia. textus adducti autoritate *a*: affirmativæ subscribere malimus, maxime si læsio modica sit & supportabilis *b*. Sin verò illa magna sit, vel enormis, minimè, etiamsi vel juramenti intervenisset Religio *c*.

*a* c. cum tempore. ext. de arbit. & facit l. fin. C. de temp. appellat. l. 41. ff. de minor. l. 29. C. de pactis. *b* Maranta p. 6. de appellat.

appellat. n. 127. Speculat. in tit. de arbit. §. sequitur. n. 22. Menoch. de arbit. iudic. quest. lib. 2. cent. 1. caus. 73. L. Kirchoy. com. opin. p. 2. concl. 94. c. Maranta & alij tam relati d. locis. Hinc illud emergit dubium notabile: Num si quis in Reductione pro parte succumbat, & pro parte obtineat, in pœnam totam, an verò in pœnæ partem incidat: Et verius putamus, quod pœna integra non parte duntaxat multandus veniat. Panormitan. in d. c. quintavallis. n. 36. per rationem ibid. assignatam.

### XIII.

Reductionis denique materiam concludet, nobis quæstio & utilissima & disputationis plenissima; An videlicet à sententia iudicis Reductionis, laudum Arbitratoris, vel confirmantis, vel infirmantis appellare liceat? Et licitam esse hoc casu appellationem post Bl. & aliosque juris interpretes, sententiam veriore esse, & tutiorem defendere conabimur b.

a Bl. in l. unica. C. ne liceat in una causa tertio provocare.

b Boerius decis. 284. n. 16. Covarruvias variar. resolut. lib. 2. c. 12. prolixè Blancus in tract. de comprom. q. fin. Andr. Geil. lib. 1. obs. 149. 4. & seq. Treut. p. 1. disp. 12. th. 5. Dissent. Br. in l. 1. ff. de legat. 2. n. 17. Lanfran. in tract. de arbit. q. 22. Ferrar. tit. 28. gl. 7. n. 12. & seq. Panor. in d. c. quintavallis. ext. de iureiur. n. 40. & alij plurimi quos refert Covarr. d. loco.

Hactenus de Reductione, cui nunc utilissimam in integrum restitutionis materiam in thesib. seqq. subijciemus.

### XV.

Est itaq; in integrum Restitutio, remedium extraordinarium a, quo Prætor b deceptos aut læsos c, in eam causam, in qua ante deceptionem aut læsionem erant d, ex justa causa e reponit ac reducit f.

a l. in cause cognit. 16. ff. de min. in pr. l. 4. C. si advers. rem iudic. Ves. in parat. ff. de in integr. restit. n. 5. P. Ferrar. tit. 41. gl. 1. n. 1. Treut. disp. 11. p. 1. th. 1. sub lit. a. Vnde impartiri neq; mini potest, donec juris civilis aliud auxilium superest: d. l. 16. ff. de minor. in subsidium enim & defectum ordinarii introductum est hoc beneficium extraordinarium. Br.

supr. d. l. 16. Ferr. d. tit. 41. gl. 1. n. 1. 2. hinc est, ut in contra-  
ctibus, qui ipso jure non valent, contrahentes hoc be-  
neficio non egeant: Ferr. d. tit. 41. gl. 1. 2. Hartm. Pistor. lib. 1.  
quest. 38. n. 38. Duar. ad tit. c. in quibus causis in integ. restit. necess.  
non sit: b. Olim enim in integrum restituendi potestatem ha-  
bebat Prætor. l. 3. & 5. ff. b. tit. vel iudex specialiter ad hoc vel  
ad universitatem causarum delegatus. l. fin. C. ubi & apud  
quem cogn. rest. in int. agit: sit: non etiam pedaneus aut ar-  
biter. ibid. Ferr. all. loco. n. 3. Covar. variar. resol. c. 4. in pr. Si ta-  
men incidenter de restitutione quærat, possunt & hi  
cognoscere, text. elegans in c. causa. ext. b. tit. & per illum text.  
Ferr. alleg. loc. n. 3. Hodie verò impetrari hoc beneficium  
potest coram quolibet magistratu ordinario, d. c. causa.  
ext. b. tit. Vves. in par. ff. eod. nu. 1. eius videlicet, contra quem  
illud petitur, l. 2. C. Vbi & ap. quem Mara. p. 6. de appell. n. 113.  
Duar. ad d. l. 2. C. vbi & apud quem. f. 119. Nisi tamen is, qui se  
restitui petit fortè Clericus sit: nam hic singulari quo-  
dam gaudet privilegio. Marant. d. loco. & n. 282. faciunt text.  
adducti. sup. in th. 3. & procedit hæc conclusio maximè, si  
qui restitutionem petit in personam agat, secus si in rem  
agere velit, tunc enim ubi res est restitutionem rectè pe-  
tet, l. fin. C. ubi in rem actio exerceri debet. c. Lætio verò si ve-  
captio illa non debet esse minima: Nam propter mini-  
mam summam audiendus non est, qui contra jus civile  
se restitui petit: ut majori rei, vel summæ præjudicetur.  
l. 4. ff. b. tit. Vves. in parat. eodem. n. 1. & p. 1. cons. 3. n. 76. Duar. h.  
tit. c. 4. vers. deinde. Andr. Geil. lib. 2. obs. 102. n. 4. Ferrar. d. tit. 41.  
gl. 2. n. 1. S. burph. cons. 27. n. 3. Vnde hæc DD. vulgaris Regula qua  
dicitur: In iis videlicet, quæ extraordinaria sunt, & contra  
jus commune introducta, quod minimum est negligi, in  
iis verò quæ ordinaria sunt, & juris communis id ipsum  
attendi, l. 2. 2. ff. de damno infecto, & l. 1. §. illud. ff. de coniungen-  
cum emanc. liberis. And. Geil. lib. 2. obs. 102. n. 4. post Iasonem. in l.  
sciendum. ff. qui satisfacere cogan. quam tamen DD. theoricam propter  
reclamantem text. l. omnino. 1. 2. ff. de impens. in rem dot. fact. l. 54.  
ff. de cont. empt. l. in rebus 18. §. 2. ff. commodati. & l. fin. ff. de ad-  
quir. vel amitt. poss. sustineri non posse arbitramur, Covar. lib. 1. vari.  
resolut.

resolut. c. 3. n. 19. & seq. Trent. d. disp. 11. th. 2. sub. lit. b. ubi dissen-  
tientem adducit Br. Costal. & DD. communiter. Magnam verè  
læsionem hoc loco non accipimus illam, quæ dimidi-  
um precii superet, eo enim casu decepto, beneficio l. 2. C.  
de rescindend. vend. ordinario succurritur, ita ut extraordinario opus  
non sit: Schurph. cent. 3. cons. 32. n. 16. d Restitutio enim  
omnia in pristinum statum reducit, ac si læsio nulla facta,  
aut negotium nullum contractum fuisset, Vves. in parat. ff.  
h. tit. n. 3. Hart. Pist. lib. 1. q. 38. n. 41. Andr. Geil. lib. 1. obs. 114. n.  
2. Quia tantum tribuit, quantum læsio abstulit: l. 1. C. de  
sent. pass. Vves. p. 1. cons. 6. n. 49. per text. & autorit. ibid. adduct.  
copiosè. e l. 3. ff. h. tit. Ejusmodi causæ quales sint, re-  
fert I. C. Ulpian. in l. 1. ff. eod. Illis verò num ignorantia  
quoq; recte connumeretur, variant DD. mirificè: nos ta-  
men affirmantium sententiæ subscribemus: quem tuetur  
Andr. Geil. lib. 2. obs. 19. n. 18. cum seq. Vves. consil. 5. p. 1. n. 32.  
consil. 11. n. 33. & consil. 21. n. 6. latè Kirchov. comm. opin. cent.  
7. concl. 10. quod tamen ita verum esse communiore cal-  
culo receptum est, ut si quis læsionem per 30. vel 40.  
annos ignoraverit, postea Restitutionis beneficium  
longissimi temporis præscriptione tollatur. Nov. 119. c. 7  
Dissentit Kirchov: & Vves. d. locis per authorit. infinit. Ferrar. d.  
tit. 41 per text. l. 1. C. si. advers. usucap. l. & quod tempore. C. de  
restu. milit. & c. imò alij etiam Restitutionem ad tempus immemo-  
riale, h. e. centum vsq; annos extendunt ex generali clausula: si  
qua mihi justa causa: propterea quod tempus petendi restituo-  
nem sit tempus utile, & non nisi ab ipso scientiæ momento currere in-  
cipiat: Andr. Geil. lib. 2. obs. 48. n. 5. Eman. Soare. thesaur. recept.  
sent. lit. R. n. 69. Dissent. Barib. Socinus. Marian. Socin. Decius Moli-  
neus & alij, quos referunt Kirchov. d. loco. & Hart. Pistor. lib. 2. q.  
12. n. 40. f. Vves. in parat. ff. h. tit. in pr. Schurph. cent. 3. cons.  
30. n. 7.

#### XVI.

Et datur his, qui vel metu, calliditate, ætate,  
absentia, justo errore, vel ex simili causa circumventi  
sunt: Non solum autem personis singulis, sed etiam  
universitatibus hoc in integr. restit. remedium conce-  
ditur,

ditur, utpote Collegiis *b*, Civitatibus *c*, & Ecclesiis *d*:  
quibus illos quoque adjicio, quorum mentio haecenus  
nondum facta fuit: Milites scilicet *e*: Rusticos *f*: &  
mulieres *g*.

*a* l. 1. & 2. ff. h. tit. & tot. tit. seq. *b* Maran. p. 6. de  
appell. n. 90. post. Bl. con. 465: vol. I. & Ioan. Andr. in c. 1. de Restit.  
in integ. lib. 2. Abbas. in c. 2. de consuet. & Lud. Rom. cons. 407.  
Dummodò sint collegia pia, & praesertim collegia scho-  
larium in quibus sunt multi minores, non vero collegia  
impia. Marant. d. loco, quod tamen ita accipimus, si videli-  
cet toti collegio, non etiam uni particulari de capitulo  
aliqua resultet læsio. *Ut ibid.* n. 89. *c* l. Rempubl. C. de inre  
Reipubl. & *ibid.* Br. Alexand. in l. civitas, 27. ff. de reb. cred. collat. 4.  
& Henning. Goeden. consil. 5. de iure civitat. n. 40. quos refert &  
sequitur Hari. Pist. l. 1. q. 37. n. 56. Hoc vero utrum ad civi-  
tatem duntaxat Romanam, an vero ad alias quoq; ci-  
vitates pertineat, hoc loco inter DD. controuersum vi-  
demus: nos præeunte glossa ad alias quoque civitates  
pertinere affirm: Quod vero ad castra attinet & villas,  
in quibus pauci duntaxat homines & quorum numerus  
ultra 10, se non extendit, illas cum communiore eodem  
jure uti censemus: Socinus cons. 66. Marant. d. loco. n. 37. &  
Pet. Foll. in addit. *ibid.* dissentit Afflict. Alb. de Ros. & Paulus de Cast.  
in d. l. Rempubl. *d* c. cum venissent & *ibid.* Abb. ext. de in integ.  
restit. Ecclesia enim tam in contractibus, quam in iudiciis  
restituitur: In contractibus: argumento c. constitutus. ext. h. t.  
DD. namque eandem restitutionem tribuunt Ecclesie,  
quæ competit minori. Dober. in suo Repert. verb. Ecclesia. Ma-  
rant. d. p. 6. n. 88. In iudiciis, per text. c. auditis. d. tit. n. utrumq;  
probat in c. 1. h. t. n. in 6. *e* l. fin. C. de restit. milit. quod ta-  
men in illis saltem militibus procedit, qui in expeditione  
occupati sunt, non etiam in iis, qui domi latitant, per e-  
und. text. nisi tamen intra annum ab expeditione domum  
reversi fuerint: honestè dimissi. Nam & illi militum  
privilegiis gaudent non secus, ac si adhuc in militia ver-  
sarentur, l. 5. C. de test. milit. Nec etiam hoc beneficium  
in ipsius militis persona finitur, sed ad uxorem eius  
quoq;



quoque extenditur, quæ tempore militiæ ipsum secuta  
 erat, l. fin. C. de uxor. mil. f. Maran. d. loco post Alexand. in  
 cons. 4. in fine, vol. 2. Vbi Rusticum accipit eum, qui peri-  
 tiores non potuit consulere: & extenditur ad eum, qui  
 alium quidem consuluit, sed secutus fuit consilium Do-  
 ctoris indocti, & sic aliqui d. fecit contra jus: Idem d. loco.  
 n. 192. post Salyc. in l. fin. C. de pœn. iud. qui male iud. & Alex. in l.  
 2. ff. quod quisq. iur. De rustico autem sagaci & astuto  
 quæritur, num Restitutionis benefic. gaudeat? & non  
 gaudere verius putamus. autor. glos. in l. Atleta §. de Rusticis.  
 ff. de excusation. Illud non ambigo, quod si Rusticus circa  
 jus naturale erraverit benefic. Restit. implorare nequeat:  
 Ignorantia enim juris naturalis ne quidem Rusticum  
 mulierem aut militem excusat: l. 6. C. qui admitti ad bon. pos.  
 poss. Vves. in parat. ff. de iuris & facti ign. De jure municipa-  
 li quæritur, quod videlicet si ignoretur, Rustico num  
 succurri possit hoc beneficio? quo casu cum Ioan. Maur.  
 distinguendum putamus: g. Maran. d. p. 6. de appell. n.  
 101. Nec refert, an mulier minor sit, an verò major, & an  
 Restit. petat in iudic. an verò in contractu: ut ibid. Quod  
 tamen certis duntaxat casibus procedit, l. fin. C. de iur. &  
 fact. ign. Non enim mulier, per omnia loco minoris habe-  
 tur, l. 32. ff. ad SC. Vell.

#### XVII.

Hiscæ enumeratis num congruenter annun:erari  
 possint subditi, petentes restitutionem rerum suarum,  
 quæ tempore belli per milites ipsis surreptæ sunt, quæ-  
 stionis est non intempestivæ, quam nos sub distinctione  
 decidendam arbitramur.

Refert eum utrum bellum fuerit necessitatis, & conservanda  
 pacis publica causa institutum, an verò causa cupiditatis privata:  
 & secundò utrum institutum fuerit bona subditorum pace, & consen-  
 su: num verò illis reclamantibus & invitis: & priorib. quidem duob.  
 casibus, non dubitamus, quin res per se satis sit expedita. Posteriorib.  
 vero etiamsi belli duces inter se pacti fuerint ne de damno amplius su-  
 peresse debeat querela, nihilominus tamen subditos ad Restitutionem  
 agere posse arbitramur. And. Geil. lib. 2. obs. 57.

Exclusa

## XVIII.

Excluduntur è contrario ab hoc beneficio filius, qui adversus patrem, & Libertus, qui adversus patronum agit *a*; itemque minor, qui sagax est & prudens, ita ut malitia ætatem suppleat *b*.

*a* l. 2. C. Qui & advers. quos. Similiter non restituitur, si adversus matrem agat, quia lex utriusque sexus parentis mentionem facit. *b* Duæ ad tit. C. qui & advers. quos. per l. in causa. vers. causa cognita. ff. de minor. l. 3. C. si minor se maiorem dixerit. Sagacitas verò & prudentia in minore probatur variè: Inprimis verò eò si fortè animo decipiendi majorem se ementitus sit, quo casu restitutionis beneficio uti non potest; ut est in d. l. 3. C. si minor. Vbi tamen DD. tribus modis distinguunt; aut enim minor proprio dolo fingit se majorem & non restituitur: per d. l. 3. aut dolo adversarij, aut 3. partim dolo proprio, & partim dolo adversarii: quibus duobus posterioribus cas: restitutionem meretur. Myns. cent. 4. obs. 20. quibus alij alias adhuc duas distinctiones adijciunt. Primo enim si contrahens cum minore ex aspectu minorem judicare potuit, scientia contrahentis dolum minoris excludit: Scienti enim non fit fraus, neq; injuria, l. cum donationis. C. de transact. Secundò non nocet minori proprius dolus, si contrahat cum conjuncta persona, quæ præsumitur habere scientiam ætatis. argum. cl. Octavi gradus. §. 1. ff. unde cognat. And. Geil. lib. 2. obs. 65 n. 1. cum seq. ad n. 5. Illud porrò refert, utrum minor simpliciter se majorem dixerit, an verò instrumento probaverit, vel per sacramenti religionem confirmaverit, se annis 25. majorem esse, & priori quidem casu in integrum restitutionem impetrari poterit, posteriori verò neutiquam. l. 3. C. si minor se maiorem, nisi palàm & evidenter ex Instrumentorum probatione, non autem testium depositione minorem se ostenderit, l. 3. C. si minor se maior. dix. si tamen juramentum fuerit corporale, h è tactis Evangeliiis juratum. per text. in Novell. iusiur. quod prest. coll. 2. tit. 3. nullum ipsi supererit auxilium. d. l. 3.

## XIX.

Et cum tam in contractibus *a*, quàm in judiciis *b*, huic

huic beneficio locus fit, in contractibus quidem, si emptio & venditio celebrata fuerit, & venditor in contractu circumscriptus sit, competit Restitutio adversus emptorem non solum, sed etiam adversus eum, ad quem res pervenerit e In judiciis vero datur adversus sententiam latam a iudice d: contra absentem e non legitime defensum f, si is major sit, sin vero minor & tunc quamvis defensus fuerit, nihilo tamen minus in integrum restituetur g.

a l. praetor ait. in pr. & §. 1. ff. de minor. & ibid. latissime. gl. Ferr. tit. 41. gl. 3. n. 2. Specul. de in integr. restit. §. 2. n. 3. quod non saltem si minor, verum etiam si major contraxerit procedere existimamus per text. l. si cum militaribus. 6. C. de rest. milit. Item si contraxerit civitas. l. in causa. 1. C. de off. c. eius qui vicem alioius ind. & ibid. gl. Quod tamen cum restrictione quadam admittimus, nisi videlicet contractus juramento forte fuerit vallatus: Juramentum enim omnem restitutionem excludit: l. 13. §. Iulianus ait. & l. 28. §. Colonus. 6. ff. de iur. iur. Andr. Geil. lib. 2. obs. 4. n. 5. Nec refert etiam si a minore juramentum fuerit interpositum tex. in auth. Sacramenta puberum. C. si advers. vendit. Geil. d. loco n. 1. Ferrar. praallegato loco gl. 4. n. 1. L. Kirchoy. cent. 7. concl. 11. Vbi hanc communem testatur: post Socin. aliosq; ibid. copiose adductos. vel a muliere, quamvis de SC. Velleiano certiorata non fuerit, ut docuit Andr. Geil. allegat. loco n. 9. per text. in c. ex libris ext. de iur. iur. Quod extenditur, ut non solum obtineat, eo casu quo contractus de jure erat validus, sed etiam si is esset nullus: and. Geil. d. loco. Limitatur autem ut non procedat 1. si juramentum fuerit vi vel metu extort: Vves. p. 2. cons. 52. n. 4 & Ferr. d. loco. n. 2. cum ejusmodi juramentum servare & civili & canonico juri contrarium sit. d. auth. sacram. pub. & c. si vero. §. ext. de iur. iur. maxime si tale juramentum tendat ad salutis aeternae interitum. ibid. vel si contra bonos mores, contra pietatem, salutem publicam, vel derisorium sit. l. 112. §. 4. ff. de legat. 1. Novell. 51. coll. 5. Extra tamen praedictas species nonnunquam juramentum. licet vi metuve extortum, obligatorium est, puta si Magistratus metu

C

carce

carceris & vinculorum cogat subditum, ut juramento  
promittat se venditurum bona sua, ut creditor bus sa-  
tisfaciat. *Andr. Geil. lib. 2, obs 42.* b l. si prator. 70. §. mar-  
cellus ff. de iudic. ibidemq; gl. verb. sciens. & *Gothofr in not. ad gl. post*  
*Br. & Cast. ad eund. text. & text. in l. Antonin. ff. b. tit. ita tamen ne*  
contra propriam sententiam iudex in integrum restituat  
l. 1. C. sentent. rescindi non poss. l. poenam. 15. C. de poen. l. quod. ius sit.  
ff. de re iud. & l. iudex. 55. eod. iuncta l. 1. in f. ff. de quest. cum simi.  
*Dissent. Oldendorp. class 6. act. 8. n. 1. vers. omnes autem magistratib.*  
c l. in cause. cogn. 13. §. fin. ff. de minor. *Ferr. d. tit. 41. gl. 3. n. 1*  
l. cum miles 30. §. 1. ff. ex quib. caus. maior. *Oldendorp. class. 9. act.*  
8. Ideoque si is, qui ab init. contraxit morte naturali e  
vivi exemptus fuerit, poterit Restitutio peti adversus  
heredes universalemque successorem. *Paulus in d. l. cum*  
*miles. in pr. ff. ex quib. caus. maior. l. 6 & l. 18. §. fin. ff. de minor.*  
*Myns. cent. 4. obs. 19. And. Geil. lib. 2. obs. 131. n. 8. Vbi hanc com-*  
*munem restatur, a qua in iudicando recedere non sit tutum. ff. Schur.*  
*cent. 1. cons. 28. n. 4. Trent. p. 1. disp. 11. h. 2. sub lit. d.* Constat  
itaque Restitutionem non personale, sed reale esse be-  
neficium, *Myns. & Trent. d. locis.* d Hinc quaeritur, vtrum  
Restitutio contra sententiam iudicis tantum, an vero  
contra laudum quoq; Arbitri derur? quod affirmamus.  
per l. si minor. 34. §. minores. ff. de minur. *Specul de in integr. Restit.*  
*lib. 3. part. 2. §. 1. n. 11 Herm. Vult. lib. 2. Jurispr. Rom. c. 33. f. 519*  
Ceterum a iudicis sententia quoties receditur, illud non  
referre putamus utrum illa definitiva, an vero interlo-  
cutoria sit: per tot. tit. & praecipue. l. 4. & fin. C. si advers. rem  
iud. *Myns. cent. 4. obs. 21. Trent. p. 1. disp. 11. h. 14.* e Ex ju-  
sta scilicet & probabili causa, puta, quod studiorum vel  
Rei. causa abesset, vel sub fidei iustorem satil dat. l. nec non.  
ff. ex quib. causis maior. & l. item b: eodem vel in hostium potestate;  
modo non esset transfuga. per l. item ei 14. d. 21. qua latius prosequi-  
tur *Oldendorp. d. class. 6. act. 9.* f Eatenus n. l. si hoc beneficio  
gaudent quatenus a nemine defensi fuerint, amicis eoru  
interrogatis, an defendere vellent, ut est in l. in prae. 21. §. si.  
ff. ex quib. cau. mai. *Oldend. d. clas 6. act. 9.* Defensor namq; co-  
parere non tenetur nisi generaliter citatus, ut per eund.  
*text. docuit, Gothofr. in not. ibid.* g Hae itaque differentia  
est

est inter minores & maiores 25. annis: ut minores quidem siue per curatores tutorelve defensi fuerint, siue non indifferenter tamen in integrum & ad totam causam restituantur: maiores vero si defensi fuerint, non utique. Nam si defensi fuerint non ad totam causam, sed ad appellationem saltem, sin vero non defensi, tum demum ad totam causam restituantur: *l. fin. ff. de in integr. restit. l. quia absente 4. C. de Procurat. l. si prator. G. Marcellus ff. de iudic. l. si ab hostib. ff. ex quib. caus. maior. iuncta. l. 1. C. eodem.*

XX.

Vnde perutilis promanat & necessaria quaestio: An concedatur Restitutionis beneficium in causa prolequendi appellationem aduersus lapsum fatalium? quod non neglecta vulgari D D. distinctione, regulariter & semper affirmative procedere existimamus, nisi impedimentum descendat ex facto tertii, tunc enim impedito danda actio est ad interesse, aduersus tertium, quod siis solvendo non sit, & tunc demum Restitutionis usus erit.

*Myns. cent. 5. obs. 98. & consil. 86. dec. 9.*

XXI.

Quod admodum, quo Restitutio peti debet, attinet quari in primis solet, utrum illa per actionis viam, num vero iudicis officio petenda sit? Itemque libello utrum opus sit, ac servandus processus ordinarius? Quorum prius ex sententia IC. Pauli ita amplecti malimus, ut officio iudicis, non actionis via remedium hoc peti debeat. *a) Posteriori vero affirmative tuebimur b.*

*: a) l. quod si minor. 24. §. final. ff. de minor. l. si quis stipulatus 43. ff. ex quib. caus. maior. & c. fin. ext. de off. iud. Speculat. de in integr. restit. lib. 4. part. 1, §. sciendum, n. 3. Ferrar. tit. 41. gl. 11. Schurph. cent. 1. cons. 28. n. 2. Dissent. Alciat. lib. 2, parad. c. 10. b) Ferrar. d. tit. 41. gl. 1. n. 2. & gl. 11. in fin. Speculat. in §. incidenter de offic. om. iud. lib. 1. part. 1. n. 3. Quod tamen ita accipimus, si principaliter restitutio petatur, c. fin. ext. de off. iud. & c. ignarus. ext. de libell. oblat. Sin vero excipiendo vel replicando, secus: tunc enim libellus necessarius non est, nisi in formam petitionis ad instructionem iudicis: *Specul. d. loco. n. 3. & 4.* Illud generaliter circa hanc materiam verum*

rum est, ut quoties Restitutio petatur novo semper li-  
bello opus sit; *Treutl. d. disp. 11. th. 14. sub lit. d. post Myns. obs.*  
*49. cent. 1.* Tandem ad formam quoque Restitutionis spe-  
ctat, quod semper per verba presentis temporis fieri de-  
beat, nec sufficiat, si simpliciter restituendum aliquem ju-  
dex dicat. *Ferrar. d. tit. 41. gl. 14. n. 1. Ves. p. 1. cons. f. 157. n.*  
*25.*

XXII.

Et porro hoc Beneficium si incidenter petatur,  
tam ante quam post litem contestatam implorari po-  
test a. Sin verò principaliter, & tunc intra quadrienni-  
um continuum lis & contestari & finiri debet b, nisi ta-  
men vel facto judicis c: dolove adversarii factum fu-  
erit, quominus finiri potuerit d.

a *text. in c. final. ext. de offic. iud. & ibid. Canonista comm.*  
*attestante Schurph. cent. 3. cons. 33. n. 15.* b *l. fin. C. de tempor. in*  
*integr. restit. c. 1. & 2. de in integr. restit. in sexto. gl. in l. non solum*  
*ff. eod. tit. Ferrar. d. tit. 41. gl. 14. n. 6. Mara. p. 6. de appellat. n. 413.*  
*Kirchov. cent. 7. concl. 26. Myns. cent. 1. obs. 51. Hartm. Pisto. lib. 1.*  
*q. 37. n. 62. post Br. in l. Rempubl. C. de iure Reipubl. Gome. variar.*  
*resolut. tom. 2. c. 14. n. 8. Ves. p. 1. cons. 42. n. 82 & in parat. ff. ex*  
*quib. caus. maior. Dober. in Reperi. verb. Restit. Alihus. lib. 1. Jurispr.*  
*Rom. c. 70. v. Restitutio hæc: & hoc de jure novo ex Justin.*  
*constit. olim enim annus saltem utilis dabatur, d. l. fin. & l.*  
*intra utile. ff. de minor. Ferrar. d. loco. Indifferenter autem qua-*  
*driennium illud ad omnes restitutionum species com-*  
*muniter extenditur, non attento quod majorum dunta-*  
*xat & minorum mentionem faciat Iustinianus: Omnes*  
*enim qui restituuntur, aut majores sunt, aut minores:*  
*A qua tamen sententia non temerè videtur discessisse*  
*Cuiac. ad l. 14. §. 1. ff. quod metus causa. & post ipsam Treut. d. disp.*  
*11. th. 3. Cæterum quadriennium hoc in Camera non ob-*  
*servari attestatur Myns. d. obs. 51. in fin. Incipit autem hoc*  
*tempus majorib. currere ab ipso læsionis die, ut proba-*  
*tur in c. unico. clementinar. 1. de in integr. restit. Gomet. ante citat.*  
*loco per gl. notab. in l. Reipubl. C. ex quib. caus. maior. idem in civita-*  
*tib. Hartm. Pisto. d. q. 37. lib. 1. nisi tamen læsio administrato-*  
*ris facto contingat, tunc enim quadriennium ex morte*  
*demum administratoris computandum est: c. Sacerdotes.*  
*16. q.*

16 q. 13. Abbas. in c. 1. notab. 2. de in integr. restit. & alij quos refert  
 & sequitur Hartm. Pist. d. loco. Minoribus verò incipit curre-  
 re, quamprimum 26. anni dies illuxerit d. l. fin. C. de tempo.  
 in integr. restit. Si modo facultatem agendi habeant, gl. ibid.  
 Absentibus tertio currit quadriennium ab ipso reditus  
 die l. 3. C. de restit. milit. Hinc quaeritur: Si absens cessante  
 impedimento ante completam usucapionem rei suæ  
 (dum tamen modico tempore post compleri illa posset)  
 domum se recipiat, ut sic detentio bonæ fidei possessoris  
 domino quidem absente cæpta, reverso verò eo finita  
 sit, utrum hoc casu Restitutionis beneficium competat  
 æquè ac si toto usucapionis tempore absens fuisset? Et  
 existimamus affirmantium sententiam veriore esse:  
 propter text. l. ab hostib. 15. §. fin. ff. ex quib. caus. maiores. clementi.  
 un. ca. de in integr. restit. Zas. in §. rursus. Inst. de action. & post ipsum  
 Myns. ibid. n. 33. Dissent. Accurs. Br. in d. l. ab hostib. Iason in d. §.  
 rursus. & DD. pleriq. Si tamen præsentem ipso per negligenti-  
 am suam usucapio completa fuerit, non restituetur:  
 per d. tex. l. ab hostib. in fine. Vltetius quadriennium illud in  
 iudicio Rescindente duntaxat, non etiam in Rescissorio  
 locum habere concludimus: In Rescissorio enim annis  
 utilis hodie non est immutatus Ves. in parat. ff. ex quib. caus.  
 maior. Myns. in §. rursus. Inst. de act. n. 17. post Zas. ibid. Ioan. Mau.  
 in tract. de in integr. restit. c. 7. in fin. per l. 28. §. si quis sapius 3. ff.  
 ex quib. caus. maior. l. in honorar. ff. de obligat. & act. c. Myns.  
 cent. 1. obs. 51. per gl. in c. ex literis. ext. de off. iud. d. Maur. d.  
 tract. de in integr. restit. c. 41.

XXIII.

Naturam Restitutionis principaliter concernunt:

1. Ne detur ex delicto a, 2. Ne denuo repetatur in ea-  
 dem causa b. 3. Ne detur in Accessoriis, si data fuerit  
 in causa principali c, & 4. ne detur contra tres confor-  
 mes sententias d, quod tamen quidam rectius affirmari  
 existimant e.

a Ne quidem minorib. l. si ex causa 9. §. nunc videndum.  
 l. auxilium 37. §. in delicto. ff. de minorib. l. 1. & 2 C. si advers. delict.  
 Ferr. d. tit. 41. gl. 16. n. 2. Quod tamen in delictis atrocibus  
 procedit, utpote in adulterio vel tali crimine, quod lex

C 3

pro

pro atroci crimine punit: ut latius IC. Tryphonius in d. l. 37.  
prosequitur: Illud refert si minor crimen fateatur, de quo  
tamen aliter constat, an adversus confessionem propri-  
am in integrum restitui possit? & posse verius existimo,  
text. & gl. in l. 1. §. divus. ff. de quæst. Myns. cent. 3. obs. 81. in fin.  
b l. 1. C. si sapius in integr. rest. postuletur nisi novæ defensiones  
pretendantur, l. 3. eod. & c. fin. ext. de in integr. rest. Myns. cent. 1.  
obs. 52. Vbi hoc quoq; in ordinatione Camera p. 3. tit. 52.  
cautum testatur & Mauric. l. 132. n. 5. iuncto. 258. cum seq.  
Novæ verò defensiones sunt, quæ noviter quæsitæ, vel  
quæ antiquæ; sed priori iudicio non propositæ, gl. in l. 7.  
§. restitutus, ff. de minor. C Ita post Andr. de Ifern. in c. Imperi-  
alem de prohib. feud. alien. per Frid. docuit Maranta p. 6. de appel-  
lat. n. 102. d Bl. in l. unica. C. ne in eadem causatert. prov. lic. &  
Alexand. in 4. §. condemnatum. collat. vit. ff. de re iudic. Myns. cent. 3.  
obs. 84. Vbi hanc sententiam in Camera receptam testatur. c Im-  
primis Salycet. quem refert Myns. d. loco.

XXIII.

Eiusque Requisite sunt: 1. Libellus a: 2. ut fiat parti-  
bus presentibus b: 3. ut causa propter quam petitur ple-  
nariè probetur c: & deniq; 4. ut satisfiat de mandato eo-  
que speciali d si per procuratorem agatur e.

a de quo in tb-21 sub lit. b. Quibus hoc loco & illud  
subjicio, de quo inter DD. mirificè variatum fuit, utrum  
nimirum Nullitatis & in integrum Restitutionis, Item Re-  
stitutionis & rei vindicationis petitio in uno libello cu-  
mulativè proponi possit? Quorum prius quidem autori-  
tate Gregorii Papæ, in c. constitutus. ex. de in integr. restit. se-  
cundum communiorem & in foro magis observatam  
sententiam affirmative tueri conabimur: Vtrumque Myn.  
cent. 2. obs. 25. prius tenet Decius in l. nemo 43. ff. de R. Iu. Schurph.  
consil. 64. n. 5. cent. 3. & Vves. p. 1. cons. 6 n. 225. Posterius confir-  
mat Speculator de in integr. rest. §. 1. vers. sed nunquid? Ferr. d. t. 41:  
gl. 15. per §. rursus. Inst. de act. b l. in cause. 13. §. causa. ff. de  
minor. l. 29. §. fin. eod. l. C. de præd. minor. & c. omnia. 3. q. 9. late  
Speculator d. tit. n. 19. cum seq. & Vves. in par. ff. de in integr.  
restitut.



restitut. vel contumaciter absentibus d. l. in cause. §. causa.  
Idem enim est adesse vel contumaciter abesse gl. ad d. §.  
causa. Sin verò partes contumaciter non abfuerint, con-  
ceditur ipsis spacium trium mensium ad comparandum;  
Novell. 119. c. 6. intra quod nisi comparuerint Restitutio  
adversus eos conceditur, ibid. c. 1. verb. manifeste ext.  
b. tit. & c. ex literis, ext. eod. Myns. cent. 1. obs. 49. & cent. 4. obs.  
21. per l. fin. C. si minor se maior. dix. ibi per verba (qui si ex luce  
probarionum:) & faciunt text. in l. 3. & 5. ff. b. tit. & l. 13. &  
16. ff. de minor. Duar. b. tit. c. 4. versic. deinde. VVe. cons. 3. n. 7. p. 1.  
Quod tamen certis casibus limitatur: 1. Nisi de ea alias  
certo satis constet: l. quod si minor. §. 1. ff. de minor. Hartm.  
Pist. q. 37. n. 60. lib. 1. 2. Nisi incidenter petatur, tunc enim  
summariam quoque cognitionem sufficere, DD. tradunt  
Myns. d. obs. 21. in fine. Hartm. Pist. lib. 1. q. 37. n. 59. d. l. illud.  
25. §. si talis. cum l. seq. ff. de minor. & ibid. gl. & c. coram ext. eod.  
Maur tract. de in integr. Restit. c. 23. Myns. cent. 2. obs. 26. consil.  
53. decad. 6. & cons. 84. decad. 9. n. 2. Ferr. tit. 41. gl. 3. n. 5. Dua.  
d. tit. C. de reput. que fiunt in iud. rest. f. 121. Quod itidem in  
eo duntaxat casu procedit, quo principaliter Restitutio  
petitur: gl. in c. suscitata. verb. postulavit. ext. de in integr. restit.  
Myns. Ferr. & Duar. d. locis: Treutl. d. disp. 11. tb. 2. sub lit. c. Sunt  
tamen certæ personæ, quæ de speciali mandato satisfacere  
non tenentur: ut Pater, Tutor, Curator, Oeconomus,  
Prælati, ac cæteri omnes habentes administrationem  
alieni patrimonii: Myns. d. obs. 26. circa fin. & Duaren. d. loco.  
e Quod enim per Procuratorem Restitutio in integrum  
peti possit, dubium non est, ut inquit Ferr. d. tit. n. 5. &  
Myns. d. consil. 53. & cons. 84. decad. 9. n. 2. Duar. ad tit. C. de Re-  
putat. que fiunt in iud. rest. & confert text. in l. unica. C. etiam per  
procurat. cau. in integr. rest. agi pos.

### XXV.

Effectus Restitutionis est, ut deceptos, vel lapsos in  
pristinum statum reponat a, executionem sententiæ  
impediat b, damnum non solum resarciat, sed etiam  
lucrum amissum restituat c.

a ut sup.

a Vi supra in *ib.* 18. sub *lit. c.* b *l. unica. C. in integr. restitu. postul. ne quid novi fiat, ibidemq; gl. verb. restitutione. & c. suscitata. ext. de in integr. restitu. Maran. p. 6. de appell. n. 108. Myns. cen. 1. obs. 48. & cent 6. obs. 80. Treut. d. disp. 11. *ib.* 2. Dissent. Bl. in *l. fin. C. de ordm. cogn.* Nisi sententia lata fuerit a principe Maran. *d. loco. n. 109* post *Abbatem* aliosq; *ibid. relatos. VVurm. in tit. 25. obs. 1.* vel nisi *præsumptiones* sint, malo animo & causa impediendi effectus sententiæ restitutionem peti, *d. c. suscitata. de rest. in integr. Maran. d. loco. n. 110. & Myns. d. obs. 48.* Quod tamen ita duntaxat procedere notavit Maranta, si videlicet executio non contineat irretractabile præjudicium, puta quod tractetur de incarcerando vel affligendo aliquem in corpus. c *l. in condemnatione. 173. §. cum verbum. ff. de R. lur. Ferr. d. tit 41. gl. 3. n. 3. Dobercin. in Promp. verb. Restitutio.* Restitutionis enim verbum pleniss. habet significationem. *l. 22. 35. 75. & l. fin. ff. de V. S. Geil. lib. 2. obs. 75. n. 8. VVes. p. 1. cons. 21. n. 40.**

#### XVI.

Quorsum & illud facit, num videlicet adeo vires suas exerat Restitut. ut etiam jus qua situm tertio auferat a, & an restituta parte principali fidejussorem quoque obligatione eximat? b quorum utrumque negamus.

a *VVes. p. 1. cons. 6. n. 126. post Panorm. in c. solita. n. 2. de maior. & obed. lafonem & DD. in l. Gallus. §. & quid si tantum. n. 70. de lib. & post. b l. 1. & 2. C. de fideiuss. minor. l. si pupillus. 35. ff. de recept. arbis,*

#### XXVII.

Conclusionis loco illud demum adjicio, Beneficium uni ex consortibus litis concessum, ad alios simul litigantes, in individuis quidem & connexis extendi, in dividuis verò aut quæ separari queunt neutiquam.

*glos. notabilis in l. unica. C. si in communi eademq; causa in integr. restitu. postuletur. Maur. h. tractatu. c. 185. commune ne asserit Eman. Soarez, in thesaur. Receptar.*

*sent. lit. R. n. 51.*

F I N I S.

99 A 6904

ULB Halle 3  
004 976 38X



TA 30L







R

*DEO DVCE ET  
 AVSPICE  
 SVB PRAESIDIO*  
*Nobilissimi, & Amplissimi viri,*  
 Dn. ARNOLDI DE REYGER, DO-  
 CTORIS IVRECONSULTI CELEBERRI-  
 mi, Pandectarum Professoris in inclyta  
 Salanâ Publici &c.  
*H A N G*  
*Processus iudiciarij*  
**DE REVISIO-**  
**NE ACTORVM, REDV-**  
**CTIONE AD ARBITRIVM BO-**  
 ni viri, & in integrum restitutio-  
 nibus  
 DISPUTATIONEM XIII.  
*Ex V. I. & receptis Doctorum in foro opinionibus  
 desumptam, publicè in amplissimæ Iuridicæ  
 facultatis auditorio defendendam  
 suscepit*  
**IOHANNES GOEDEMAN**  
 Lunæburgensis Saxo.  
*Hab: Diss. Novembr: 6. matutina.*  
**I E NÆ**  
 TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.  
 ANNO MDCCXCV.

